

I

- de Immunitate nemini concedenda. pag. 642. lib. 10. tit. 25.
 de Imponenda lucrativa descriptione. 656. * 10. 35.
 de Impuberum et aliis substitutionibus. 396. * 6. 26.
 de Incertis personis. 427. * 6. 48.
 de Incestis et inutilibus nuptiis. 292. * 5. 5.
 de Incolis, et ubi quis domicilium. 658. * 10. 59.
 de Indicta viduitate. 418. * 6. 40.
 de Indictionibus. 638. * 10. 17.
 de Infamibus. 667. * 10. 57.
 de Infantibus expositis. 573. * 8. 52.
 de Infirmis pœnis. 582. * 8. 58.
 de Ingenuis manumissis. 465. * 7. 14.
 de Ingratis liberis. 569. * 8. 50.
 de In integrum restitut. 141. * 2. 22.
 In integrum restitutione postulata. 132. * 2. 80.
 de Injuriis. 613. * 9. 55.
 de In jus vocando. 115. * 2. 2.
 de In litem dando Tutore. 343. * 5. 44.
 ——— jurando. 348. * 5. 53.
 de Inofficiosi donationibus. 187. * 5. 29.
 ——— dotibus. 188. * 5. 30.
 de Inofficioso testamento. 180. * 3. 28.
 In quibus casibus Tutor. vel Curat. 335. * 5. 36.
 In quibus causis cessat longi temp. 481. * 7. 34.
 ——— coloni. 698. * 11. 49.
 ——— in integr. 148. * 2. 41.
 ——— militantes. 178. * 3. 25.
 ——— pignus. 554. * 8. 15.
 de Institoria et exercit. actione. 236. * 4. 25.
 de Institutionibus et substitutionibus. 394. * 6. 25.
 Inter alios acta vel iudicata. 501. * 7. 60.
 de Interdictis. 520. * 8. 1.
 de Interdicto matrimonio. 294. * 5. 6.
 de Inutilibus stipulationibus. 553. * 8. 39.
 de Irenarchis. 674. * 10. 75.
 de Iudicis et Cœlicolis. 65. * 1. 9.
 de Iudiciis. 160. * 3. 1.
 de Jure aureorum annulorum. 573. * 6. 8.
 — deliberandi. 402. * 6. 50.
 — domini impetrando. 547. * 8. 34.
 — dotium. 303. * 5. 12.
 — emphyteutico. 280. * 4. 66.
 — fisci. 628. * 10. 1.
 — liberorum. 582. * 8. 59.
 — Reipublicæ. 686. * 11. 29.
 de Jurejurando propter calumniam. 158. * 2. 59.
 de Jurisdictione omnium judicum. 173. * 5. 13.
 de Juris et facti ignorantia. 85. * 1. 18.
 de Justiniano Codice confirmando. 2.

TIT. XLII.

DE EUNUCHIS¹.

1. Imp. CONSTANTINUS A. Aurelio duci Mesopotamiæ.

Si quis post hanc sanctionem in orbe romano eunuchos fecerit, capite puniatur²: mancipio tali, nec non etiam loco, ubi hoc commissum fuerit, domino sciente et dissimulante confiscando³.

2. Imp. LEO A. Viviano P. P.

Romanæ gentis homines, sive in barbaro, sive in romano solo eunuchos factos nullatenus quolibet modo ad dominium cujusquam transferri jubemus: pœna gravissima statuenda adversus eos qui hoc perpetrare ausi fuerint: tabellione videlicet, qui hujusmodi emptionis sive cujuslibet alterius alienationis instrumenta conscripserit, et eo, qui octavam vel aliquid vectigalis causa pro his susceperit, eidem pœnæ subjiciendo. Barbaræ autem gentis eunuchos extra loca nostro imperio subjecta factos, cunctis negotiatoribus⁴, vel quibuscunque aliis emendi in commerciis, et vendendi, ubi voluerint, tribuimus facultatem.

TIT. XLIII.

DE PATRIBUS, QUI FILIOS SUOS DISTRAXERUNT.

1. Imp. DIOCLETIANUS et MAXIMIANUS AA. Papinianæ.

Liberos a parentibus neque venditionis¹, neque donationis titulo, neque pignoris² jure, aut alio³ quolibet modo, nec sub prætextu ignorantia⁴ accipientis in alium transferri posse, manifestissimi juris est.

2. Imp. CONST. A. Provincialibus salutem.

Si quis propter nimiam paupertatem egestatemque victus causa filium filiamve sanguinolentos vendiderit, venditione in hoc tantummodo casu valente, emptor obtinendi ejus servitii habeat facultatem: liceat autem ipsi qui vendidit, vel qui alienatus est, aut cuiuslibet alii ad ingenuitatem eum propriam repetere: modo si aut pretium offerat, quod potest valere, aut mancipium pro ejusmodi præstet.

TIT. XLIV.

DE RESCINDENDA¹ VENDITIONE.

1. Imp. ALEXAND. A. Maronæ.

Si pater tuus per vim² coactus domum vendidit: ratum non habebitur, quod non bona fide gestum est: male³ fidei enim emptio irrita est. Aditus itaque nomine tuo præses provinciæ auctoritatem suam interponet: maxime cum paratum te proponas id, quod pretii nomine illatum est, emptori refundere.

2. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. Lupo.

Rem⁴ majoris pretii, si tu vel pater tuus minoris distraxerit⁵: humanum est, ut vel pretium te restituente emptoribus, fundum venundatum recipias, auctoritate judicis intercedente: vel si emptor elegerit⁶, quod deest justo pretio, recipias. Minus autem pretium esse videtur, si nec dimidia pars [veri] pretii soluta sit.

3. Idem, AA. Martianæ.

De contractu venditionis et emptionis jure perfecto, alterutro invito⁷, nullo recedi tempore bona fides patitur: nec ex rescripto⁸ nostro: quo jure fiscum nostrum uti, sæpe constitutum est.

4. Idem, AA. Eudoxio.

Ad rescindendam venditionem, et male fidei probationem, hoc solum non sufficit, quod magno pretio fundum comparatum, minoris⁹ distractum esse commemoras.

5. Idem, AA. Rufo.

Si dolo¹⁰ adversarii deceptum venditionem prædii te fecisse præses provinciæ aditus animadvertit: sciens contrarium esse dolum bonæ fidei, (quæ in hujusmodi maxime contractibus exigitur) rescindi venditionem

TIT. XLII. — 1. N. 142, N. Leon. 60. — 2. L. 3, § 4, D. ad leg. Corn. de sicar.; N. 142, c. 1. — 3. Abrog. d. N. 142, c. 2; N. Leon. 60. — 4. L. 16, § 7, circa fin. D. de publican.
 TIT. XLIII. — 1. L. 1, L. 57, infr. de liberis caus.; L. 10, infr. de patr. potest. — 2. L. 6, infr. que res pign.; adde L. 6, L. 7, L. 8, D. de pignorib. — 3. L. 12, supr. de oblig. — 4. L. 39, § 3, D. de evict. — 5. Adde L. 4, D. de agnoscent. et aliend. lib.
 TIT. XLIV. — 1. Lib. 18, D. 5. — 2. L. 6, pr. D. de off. presid.; L. 8, infr. h. t. § 1, supr. de his que vi metusve caus. — 3. L. 6, infr. de præscript. longi temp. — 4. Adde L. 8, infr. h. t. — 5. Conf. L. 1, § 15, D. si quid in fraud. patron.; L. 5, in fin. supr. commun. utriusque jud.; L. 6, infr. soluto matr.; L. 46, in fin. D. de solut. — 6. d. L. 8, in fin. infr. h. t. — 7. L. 7, infr. cod.; L. 5, supr. de oblig. et act. — 8. L. 12, supr. de rei vindic. — 9. L. 8, L. 15, infr. h. t. — 10. Adde L. 8, L. 10, infr. cod. — 11. L. 63, D. ad leg. Falc. — 12. L. 5, supr. h. t. L. 54, D. de contrah. empt. — 13. L. 6, supr. de dolo; L. 10, L. 11, infr. h. t. — 14. L. 13, supr. de transact.; L. 4, L. 5, L. 7, supr. de his que vi metusve. — 15. L. 16, § 4, D. de milior.; L. 22, in fin. D. locati; adde L. 4, supr.; L. 15, infr. h. t. — 16. L. 2, supr. cod. — 17. Vide tamem L. 1, § 1, D. de contrah. empt. — 18. L. 15, supr. de transact. — 19. L. 8, supr. h. t. — 20. L. 16, infr. cod. — 21. Immo vide L. 6, infr. de pact. inter empt. — 22. L. 1, supr. de contrah. empt.

jubebit. Quod si jure perfecta venditio est a majore vigintiquinque annis, intelligere debes, consensu mutuo perfectam venditionem resolvi non posse.

6. Idem, AA. Gratiano.

Non est probabilis causa, propter quam rescindi consensu factam venditionem desideras. Quamvis enim duplum¹¹ offeras pretium emptori: tamen invitus ad rescindendam venditionem urgeri non debet.

7. Idem, AA. Muracolo, et aliis militibus.

Ratas¹² manere semper factas jure venditiones, vestra etiam interest: nam si oblato pretio rescindere venditionem facile permittatur: eveniet, ut [et] si quid vos [de] laboribus vestris a fisco nostro vel a privato comparaveritis, eadem lege conveniamini quam vobis tribui postulatis.

8. Idem, AA. Evodia.

Si voluntate tua fundum tuum filius tuus venundedit, dolo ex calliditate atque insidiis¹³ emptoris argui debet, vel metus mortis, vel cruciatus¹⁴ corporis imminens detegi, ne habeatur rata venditio. Hoc enim solum, quod paulo minore¹⁵ pretio fundum venditum significas, ad rescindendam venditionem invalidum est. Quod si videlicet contractus emptionis atque venditionis cogitasses substantiam, et quod emptor viliori comparandi, venditor cariore, distrahendi votum gerentes, ad hunc contractum accedant, vixque post multas contentiones, paulatim venditore de eo quod petierat detrahente, emptore autem huic, quod obtulerat addente, ad certum consentiant pretium: profecto perspiceres, neque bonam fidem quæ emptionis atque venditionis, conventionem tuetur, pati, neque ullam rationem concedere, rescindi propter hoc consensu finitum contractum, vel statim, vel post pretii quantitatis disceptationem: nisi minus¹⁶ dimidia justii pretii, quod fuerat tempore venditionis, datum esset, electione [jam] emptori præstita servanda. — Dat. kalend. decembr. CC. COSS.

9. Idem, AA. Domitio.

Pretii causa non pecunia numerata, sed pro ea pecoribus¹⁷ in solum consentienti datis, contractus non constituitur irritus.

10. Idem, AA. Severo.

Dolus emptoris qualitate facti¹⁸, non quantitate¹⁹ pretii æstimatur. Quem si fuerit intercessisse probatum: non adversus eum, in quem emptor dominium transtulit, rei vindicatio venditori, sed contra illum, cum quo contraxerat, in integrum restitutum competit.

11. Idem, AA. Magnæ.

Venditor factum emptoris, quod eum tempore contractus latuit, post arguendo, non quod eo tempore scierit quod id ageretur, et consensit, de dolo queri potest. Igitur cum patrem tuum, ut majus comprehenderetur instrumento pretium, quam rei quæ distrahebatur, esse convenerat, consensisse profitearis, propter hoc solum de circumscriptione frustra queritur. — § 1. Sane, si placitum pretium non probetur solum, vel in quantitate debiti per errorem facti compensari cautum fuerit: hoc reddi recte postulatur.

12. Idem, AA. Antiocho.

Non idcirco minus venditio fundi, quod hunc ad munus sumptibus necessariis urgentibus²⁰, non viliori pretio, vel urgente debito distraxisse contentis, rata manere debet. [Ab] illicitis itaque petitionibus abstinendo, ac pretium, si non integrum solum est, petendo, facies consultus.

13. Idem, AA. et CC. Nicæ.

Si major annis vigintiquinque fundum distraxisti: propter hoc solum, quod ementi, ne compararet, socer tuus denunciavit, emptionem [factam] a te rescindi bona fides non patitur.

14. Idem, AA. et CC. Basilicæ.

Ea conditione distractis prædiis, ut quod reipub. debebatur, qui comparavit restitueret: venditor a se celebrata solutione, quanti interest, experiri potest: non ex eo²¹, quod emptor non satis conventioni fecit, contractus irritus constituitur.

15. Imp. GRAT., VALENT. et ТНЕОД. ААА. ad Hypatium P. P.

Quisquis major ætate prædia etiam procul²² posita distraxerit, paulo

vilioris²⁵ pretii nomine, repetitionis rei venditae copiam minime consequatur: neque [enim] inanibus immorari sinatur objectis, ut vires locorum sibimet causerit in cognatis, qui familiaris rei scire²⁴ vires vel merita atque emolumenta [ante] debuerat. — Dat. 6 kalend. Maji, MEROBAUDE 2 ET SATURNINO COSS. 365.

16. Imppp. VALENT., THEOD. ET ARCAD. AAA. ad Margillum vicarium Africae.

Si quos debitorum²⁵ male depressos necessitas publica rationis adstringat proprias distrahere facultates, rei qualitas, et reddituum quantitas aestimetur: nec sub nomine subhastationis publicae locus fraudibus reliquatur, ut possessionibus viliori [pretio] distractis, plus exactor ex gratia²⁶, quam debitor ex pretio consequatur. Hi postremo sub empti titulo, perpetuo dominii jure potiantur, qui tantum administraverint fisco, quantum exegerit utilitas privatorum. Etenim periniquum est, ut alienis bonis sub gratiosa auctione distractis, parum accedat publico nomini, cum totum pereat debitori. — Dat. 15 kal. Jul. Aquil. acc. idus Januar. Hadrumeti, post consulat. TATIANI ET SYMMACHI VV. CC. 391.

17. Imp. ARCAD. ET HONOR. AA. Messala.

Hi qui imposita munera civitatum fuga²⁷ destituunt, vel ineundos furum²⁸ existimant esse contractus: intelligant, sibi nihil haec profutura esse commenta, et pretio emptorem [fugae conscium] multandum esse quod dederit. — Dat. 12 kal. sept. THEODORO V. C. COSS. 399.

18. Imppp. ARCAD., HONOR. ET THEOD. AAA. Nestorio comiti rerum privatarum.

Vestium auri et argenti, seu mancipiorum coemendorum, si quando a privatis nostris ea contigerit venundari, Palatini²⁹ sciant sibi copiam denegatam: pena in eos amissionis pretii extendenda.

TIT. XLV.

QUANDO LICEAT AB EMPTIONE DISCEDERE.

1. Imp. GORD. A. Rufino.

Re quidem integra ab emptione et venditione utriusque partis consensu recedi potest². Etenim quod consensu contractum est, contrariae voluntatis adminiculo dissolvitur³. At enim post traditionem⁴ interpositam nuda voluntas non resolvit emptionem: si non actus quoque priori similis⁵ retro agens venditionem intercesserit.

2. Imp. DIOCLET. ET MAXIM. AA. Felici.

Perfectam emptionem atque venditionem re integra⁶ tantum pacto et consensu posse dissolvi constat. Ergo si quidem arre nomine aurum datum sit, potes hoc solum secundum fidem pacti recuperare⁷. Sin vero partem pretii persolvisti ad ea, quae venditorem ex venditione oportet prestare magis actionem, quam ad pretii quantitatem, quam te dedisse significas, habes.

TIT. XLVI.

SI PROPTER PUBLICAS PENSATIONES VENDITIO FUERIT CELEBRATA.

1. Imp. ANTONINUS A. Materno.

Venditionem ob tributorum cessationem factam revocari non oportet¹, neque priore² domino pretium offerente, neque creditore ejus jura hypothecae sive pignoris [pretendente]. Potior est enim causa tributorum, quibus priore³ loco omnia bona cessantis obligata sunt.

2. Imp. DIOCLET. ET MAXIM. AA. Plotio.

Si deserta praedia, ob cessationem collationum, vel reliqua tributorum, ex permissu praesidis ab his, quibus periculum exactionis tributorum imminet, distracta sincera⁴ fide justo pretio solemniter comparasti: venditio ob solennes praestations necessitate facta convelli non debet⁵. Sin autem venditio nulla auctoritate praesidis praecedente facta est, hanc ra-

25. L. 4, l. 8, supr. h. t. — 26. Vide tamen 25, vers. praevaluisse. Inst. quib. ex caus. monum. tit. 1. L. 10, D. qui et a quib. manum. — 25. Adde l. 12, supr. h. t. — 26. L. 3, infr. de jure fisci; L. 2, infr. de fide et jure hastae. — 27. L. 54, infr. de decur.; L. 1, infr. si curialis relict. civi. — 28. L. 1, infr. de praed. decur. sine decret. non alien. — 29. Confer. L. ult. infr. de fide et jure hastae. — Tr. XLV. — 1. Lib. 18, D. 5. — 2. L. 2, infr.; L. 2, D. h. l. L. 7, § 6; L. 38, D. de pact. — 3. L. 80, in fin. D. de solut.; L. 35, D. de reg. jur. — 4. Adde l. 2, D. h. t. — 5. L. 35, D. de reg. jur. — 6. L. 1, supr. h. t. — 7. L. 11, § 6, D.; L. 3, infr. de act. empt. et adde l. 3, infr. de sponsal. — Tr. XLVI. — 1. L. 8, infr. de remis. pign.; L. 2, infr. de quadriem. praescript. — 2. L. 2, infr. si antiquior creditor. — 3. L. 2, infr. de privil. fisci. — 4. L. 3, infr. de jure fisci. —

tam haberi jura non concedunt. Id itaque quod frustra gestum est, revocari oportet: ita ut indemnitati tributorum omnibus modis consulatur. Quae omnia tractari convenit praesente eo quem emptorem extitisse proponis.

3. Imp. CONSTANTINUS A. Faustino praesidi Bacticae.

Si quis fundum, vel mancipium, [aliamve rem] ob cessationem tributorum, vel etiam ob vestium, auri, argentique debitum, quae annua exactione solvuntur, occupata, convento debitor, et apud judicem interpellatione celebrata, cum solutio cessaverit, sub hasta distracta comparaverit: perpetuam emptionis accipiat firmitatem. Sin autem minoris forte persona fuerit inserta: necesse sit legitimae defensionis⁶ venditioni personam adesse: nihilque intersit, utrumne officium summae rei procuratoris, an certe rectoris provinciae id, quod debitum fuerit, proposuerit. — Dat. prid. id. dec. FELICIANO ET TYTIANO COSS. 357.

TIT. XLVII.

SINE CENSU VEL RELIQUIS FUNDUM COMPARARI NON POSSE.

1. Imp. ALEXAND. A. Capitoni.

Ex⁴ conventionem quidem, qua pactam novercam tuam cum patre tuo dicis cum fundum in dotem daret, ut ipsa⁵ tributa agnosceret, actio tibi adversus eam competere non potest, etiam si pactum in stipulationem deductum probetur. Sed et si fundus aestimatus, ita ut pars instrumenti significat, in dotem datus est, ex vendito actio, ut placitis stetur, non competit. — P. P. non. dec. ipso A. 3 ET DIONE COSS. 250.

2. Imp. CONSTANTINUS A. ad Marcellum.

Rei annonariae emolumenta tractantes, cognovimus hanc esse causam maxime reliquorum, quod nonnulli captantes aliquorum momentarias⁵ necessitates, sub hac conditione fundos comparant, ut⁴ ne reliqua eorum fisco inferant, et immunes eos possideant. Ideoque placuit; ut si quem constiterit hujusmodi habuisse contractum, atque hac lege possessionem esse mercatum; tam pro solitis censibus fundi comparati, quam pro reliquis universis ejusdem possessionis obnoxius teneatur: cum necesse sit eum qui comparavit, censum rei comparatae agnoscere, nec liceat cuiquam rem sine censu comparare vel vendere. — Dat. kalend. Jul. Agrippinae, CONSTANTINO A. 5 ET LUCINIO C. COSS. 319.

In AUTHENT. de mandat. princ., § non permittas itaque, coll. 3, tit. 4, Nov. 17, cap. 8.

Sed et periculum in se recipere potest, si examinatione ante traditionem facta emptor minus idoneus inventus fuerit: tunc enim venditor apud gesta profiteri cogitur, quia periculo suo transpositio fit fiscalium tributorum.

3. Imp. JULIANUS A. Secundo P. P.

Omnes pro his agris, quos possident, publicas pensationes agnoscant: nec pactionibus contrariis⁵ adjuventur: si venditor aut donator apud se collationis sarcinam pactione illicita voluerit retinere: et si necdum translata sit professio censualis, sed apud priorem fundi dominum forte permaneat, dissimulantibus ipsis, ut non possidentes pro possidentibus exigantur. — Dat. 14 kalend. Mart. ANTOCHIAE, JULIANO A. 4 ET SALLUSTIO COSS. 365.

TIT. XLVIII.

DE PERICULO ET COMMODO REI VENDITAE.

1. Imp. ALEXAND. A. Apollonio.

Post perfectam venditionem omne commodum, et incommodum, quod rei venditae contingit, ad emptorem² pertinet. Auctor enim ex his tantum causis suo ordine tenetur, quae ex praecedente³ tempore causam evictionis parant: et ita⁴, si ei denunciatum est, ut causae agenda adesset, et non absente emptore contra eum pronunciatum est.

5. L. 8, infr. de remis. pign. — 6. Fac. L. 54, D. de re judic.; L. 5, D. de reb. author. jud. possid. — Tr. XLVII. — 1. L. 13, supr. de pact.; — 2. L. 42, D. d. t.; L. 5, infr. h. t.; L. ult. infr. de fundis rei priv.; L. 5, infr. de divere. praed. — 3. L. 16, supr. de rescind. vend.; L. 1, infr. de praed. decur. — 4. L. 1, supr.; L. 5, infr. h. t.; adde l. 7, D. de publicanis. — 5. L. 43, D. de pact.; L. 1, L. 2, supr. h. t.; L. ult. infr. de fundi rei priv.; L. 5, infr. de div. praed. vide tamen l. 52, § 3, D. de pactis. — Tr. XLVIII. — 1. Lib. 18, D. 6. — 2. L. 5, infr.; L. 7, L. 8, D. h. t.; § 3, Inst. de empt. vend.; L. 12, infr. tit. prox. — 3. L. ult. infr. h. t.; L. 5, infr. de adilit. act. — 4. L. 6, infr. de evict.

2. Idem, A. Juliano.

Cum convenit, ut singulae⁵ amphorae vini certo pretio veneant: antequam tradantur, imperfecta etiam tunc venditione, periculum vini mutati emptoris, qui moram⁶ mensurae faciendae non interposuit, non fuit. Cum autem universum, quod in horreis erat positum, venisse sine mensura et claves⁷ emptoribus traditas, alleges post perfectam venditionem, quod vino mutato damnum accidit, ad emptorem pertinet. Haec omnia locum habent, non solum si vinum, sed etiam si oleum, vel frumentum, vel his similia venierint, et ea aut deteriorata, aut penitus corrupta fuerint.

3. Idem, A. Diaphaniae.

Dolum auctoris⁸ bonae fidei emptori non nocere certi juris est.

4. Imp. GORDIAN. A. Siluro.

Cum inter emptorem et venditorem, contractu sine⁹ scriptis inito, de pretio convenit, moraque¹⁰ venditoris in traditione non intercessit: periculo emptoris rem distractam esse in dubium non venit.

5. Imp. DIOCLET. ET MAXIM. AA. Leontio.

Cum speciem venditam per violentiam ignis¹¹ absumptam dicas: si venditionem nulla conditio suspenderit, amissae rei periculum te non adstringit.

6. Idem, AA. Cerulo.

Mortis casus ancillae distractae etiam ante traditionem¹² sine mora venditoris dilatam, non ad venditorem, sed ad emptorem pertinet: et hac non ex praeterito¹³ vitio rebus humanis exempta, solutionem pretii emptor non recte recusat.

TIT. XLIX.

DE ACTIONIBUS EMPTI ET VENDITI.

1. Imp. ANTONINUS A. Deliana.

Adversus eum cui agrum vendidisti iudicio venditi consiste. Nec enim tibi in rem² actio cum emptore, qui personaliter tibi sit obligatus competit.

2. Imp. VALERIAN. ET GALLIEN. AA. ET VALER. C. Domitiano.

Venditi actionem ad recipiendum residuum⁵ pretium intendere adversario tuo poteris. Nec quod in compensationem venerit, quasi et tu invicem deberes, id obesse tibi poterit, si in bona fidei contractu (in quo majores⁴ etiam vixingitiquae annis officio iudicis in his, quae dolo commissa sunt adjuvantur) justo errore te ductum, vel fraude adversarii captum, quasi debitum id esset, quod revera⁵ non debebatur, pepigisse monstraveris. Fructus quoque perceptos ante venditionem contractam, quos, cum venditioni non accessissent⁶, eundem emptorem invasisse proponis, eodem iudicio reposesces.

3. Imp. DIOCLET. ET MAXIM. AA. Serpodoro.

Ex arrali pacto personalis⁷ duntaxat actio paciscentibus praeparatur.

4. Idem, AA. Mutiano.

Si traditio rei venditae iuxta emptionis contractum prociacia venditoris non fiat: quanti interesse⁸ compleri emptionem fuerit arbitratus praeses provinciae, tantum in condemnationis taxationem deducere curabit.

5. Idem, AA. Decima.

Curabit praeses provinciae, compellere emptorem, qui nactus possessionem fructus percepit, partem pretii, quam penes se habet, cum usuris⁹ restituere: quas et perceptorum fructuum¹⁰ ratio, et minoris aetatis favor¹¹ (licet nulla mora intercesserit) generavit.

6. Idem, AA. Neratio.

Venditi actio, si non ab initio¹² aliud convenit, non facile ad rescindendam¹³ perfectam venditionem, sed ad pretium exigendum competit.

5. L. 35, § 5, D. de contrah. empt.; L. 1, § 1, D. h. t. — 6. L. 14, D. eod. — 7. L. 74, D. de contrah. empt. — 8. L. 21, § 2, D. de pecul.; L. 5, D. de divers. tempor. praescript. — 9. L. 17, supr. de fide instrum. — 10. L. 14, D. h. t. — 11. L. 11, D. eod. — 12. § 5, Inst. de empt. vend. — 13. L. 1, supr. h. t. — Tr. XLIX. — 1. Lib. 19, D. 1. — 2. L. 6, infr. h. t.; L. 8, supr. de contrah. empt. — 3. L. 6, infr. h. t. — 4. D. ex quib. caus. maj. — 5. L. 51, D. de pact.; L. 6, supr. de condit. ind. — 6. L. 17, § 6, D. h. t. — 7. L. 11, § 6, D. eod. — 8. L. 10, L. 12, infr.; L. 11, D. eod. — 9. L. 2, supr. de usur. — 10. L. 13, § 20, D. h. t. — 11. L. 3, supr. in quib. caus. in inter. restit. — 12. L. 16, D. de in diem addit.; L. 4, D. de leg. commiss.; L. 2, infr. de pact. inter empt. et vend. — 13. L. 2, supr. de rescind. vend. — 14. L. un. vers. si itaque, supr. si servus extero. — 15. L. 8, § 2; L. 22, § 8, in fin.; L. 54, D. mandati; adde l. 1, § 2, in fin. D. h. t. — 16. L. 50, D. de rei. vindict.; — 17. Confer. L. 25, supr. d. t.; L. 4, infr. de donat.; L. 64, D. de acquir. rer. domin.; — 18. L. 15, infr. de liberali caus.; L. 6, § 1, D. de off. praesi-

7. Idem, AA. Diodoro.

Si servos distraxisti, ac pretium de peculo¹⁴ eorum quod ad te pertinebat, nesciens unde solveretur, accepisti: consequens est, integram te habere actionem pretii: cum proprii¹⁵ venditoris nummi soluti non praestet emptori liberationem.

8. Idem, AA. Eusebio.

Si pater tuus venundedit portionem suam, nec induxit in vacuum possessionem¹⁶ praedii: jus omne penes se eum retinuisse certum est. Neque enim velut traditionis factae vectigal¹⁷ exsolutum, si simulatum¹⁸ factum intercessit, veritatem mutare potuit. Quapropter aditus praeses provinciae, si animadverterit in vacuum possessionem neque patrem tuum, neque successores ejus emptorem vel heredes ipsius quocunque loco factos induxisse, non dubitabit nihil esse translatum pronuciare. Et si te ex empto ad ducendum [eum] in vacuum possessionem praedii perspexerit conveniri: existimabit, an pretium sit solum¹⁹: ac si repererit non esse pretio satisfactum, hoc restitui tibi providebit.

9. Idem, AA. Antipatrae.

Si minor a venditore sive sciente sive ignorante dicebatur capitatio praedii venditi, et major inventa sit: in tantum convenitur, in quantum si scisset emptor ab initio, minus²⁰ daret pretii. Sin vero hujusmodi onus et gravamen functionis cognovisset, nullam adversus venditorem habet actionem²¹.

10. Idem, AA. Attalo.

Cum venditorem carnis, fide conventionis rupta, tempore placito hanc non exhibuisse proponas, ex empto actione, eum, quanti²² intersit tua²³ si tunc praestita fuisset, apud praesidem provinciae convenire potes.

11. Idem, AA. Bucarpiae.

Si ancillam tibi ex causa venditionis traditam venditor manumisit: libertatem alienae factae praestare non²⁴ potuit. Quod si post venditionem ante²⁵ traditionem manumisit, pleno jure dominus constitutus, civem romanam facere non prohibetur: tibi personali²⁶ propter ruptam fidem contra venditorem actione competente.

12. Idem, AA. Crispino.

Sicut²⁷ periculum vini mutati, quod certum²⁸ fuerit comparatum, ad emptorem, ita commodum²⁹ aucti pretii pertinet. Utque hoc verum est, sic certae qualitatis ac mensurae distracto vino, fidem placiti servandam esse convenit. Quo non restituto, non pretii quantitas, sed quanti interest³⁰ emptoris, competit actio.

13. Idem, AA. Alexandro.

Fructus³¹ post perfectum jure contractum, emptoris spectare personam convenit, ad quem et functionum³² gravamen pertinet. Venditor quoque pretium tantum, ac si mora intercessisset probetur, usuras³³ officio iudicis exigere potest.

14. Idem, AA. Rufoni.

Emptor servorum certe de his tradendis³⁴, et de eorum fuga³⁵, itemque sanitate³⁶, erroneque³⁷ non esse, [aut noxa³⁸ solutos,] reprobitti sibi recte postulat.

15. Idem, AA. Antonio.

Ultra modum tritici distracti citra³⁹ pactum, in solutione mora non facta, nihil emptor exigere potest.

16. Idem, AA. Cyrillo.

Post perfectam venditionem fetus⁴⁰ quidem pecorum emptori, venditori vero sumptus⁴¹, si quos bona fide fecerit, restitui debere notissimum est.

17. Idem, AA. Hermiano et Lupo.

Expulsos vos de fundo per violentiam a Nerone, quem habere jus in eo negatis, proflentes, nullam vobis adversus eum ex cuius venditione fundum possidetis, actionem competere probatis⁴². Igitur ad instar interditi seu actionis⁴³ permissae experiendum esse perspiciatis.

dis; L. 5, supr. de jur. et fact. ignor. — 19. L. 15, § 8, D. 4, t. — 20. L. 59, D. eod. — 21. Arge. L. 145, D. de reg. jur.; unum l. 1, in fin. D. h. t. — 22. L. 4, supr. eod. — 23. Adde l. 21, § 3, D. eod. — 24. L. 5, infr. de his qui a non dominis. — 25. L. 5, infr. d. t. — 26. L. 6, supr. de hered. vel act. vend. — 27. L. 1, supr. de periculo et commodo. — 28. L. 2, supr. d. t. — 29. L. 10, D. de reg. jur. — 30. L. 4, supr. h. t. — 31. L. 2, in fin. supr.; L. 13, § 20, D. eod. — 32. L. 12, supr. eod.; L. 10, D. de reg. jur. — 33. L. 5, supr.; L. 13, § 20, D. h. t.; L. ult. D. de peric. et commo.; L. 18, in fin. D. de usur.; confer. L. 5, infr. de pactis inter empt. et vend. — 34. L. 11, § 2, § 5, D. h. t. — 35. d. l. 14, § 7; L. 17, D. de adilit. edict. — 36. d. l. 11, § 4; L. 4, § 1, D. de adilit. edict. — 37. d. l. 17, § 7; — 38. L. 5, infr. de pact. inter empt. et vend. — 40. L. 15, § 10, D. h. t. — 41. d. l. 15, § 22; L. 1, D. eod. — 42. L. 5, in fin. pr. D. de evict.; adde l. 11, D. d. t. — 43. L. 1, § 4, D. uti possidetis.

TIT. L.

SI QUIS ALTERI, VEL SIBI SUB ALTERIUS NOMINE, VEL ALIENA PECUNIA EMERIT.

1. Imp. ANTON. A. Secundino.

Si pecunia patris fundus mancipiaque comparata sunt: tamen, cum emptiones matris tua nomine factas esse proponas, ignorare non debes traditione matrem tuam dominam fuisse constitutam. Plane, si pecunie petitionem competere tibi propter numerationem pretii existimas, civiliter contende.

2. Imp. ALEXAND. A. Septimæ et aliis.

Si emancipatis vobis fundos, quos nomine vestro, cum in potestate ageritis, pater emerit, tradidit, vel in possessione eorum voluntate patris fuistis, dominium acquisistis.

3. Idem, A. Patrimo.

Mancipia, quorum meministi, si (ut proponis) nomine tuo: itemque fructus tui, cui successisti, empta, vobis tradita sunt: licet instrumento emptionis matrem tuam pecunias numerasse contineatur, persequi ea more iudiciorum non prohiberis.

4. Imp. VALERIAN. et GALLIEN. AA. et VALER. C. Cyrillo.

Quamvis instrumento emptionis socrus nomen inscripserit: tamen, si possessionem tenens dominus effectus es, ob eam rem frustra calumniam mulieris, quamvis ipsa contractus tabulas habeat, reformidas.

5. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. Vero.

Cum propria pecunia tua te comparante possessionem, quondam uxoris tuæ nomen tantummodo accommodasse [dicas,] eandemque occasione custodiae suæ commissorum instrumentorum contra bonam fidem proprietatem ejusdem fundi usurpasse dicas: rector provincie pro sua excoitatione cognitum habens, donationem a non domina uxore tua in filiam suam collatam, nullum præjudicium dominio tuo attulisse, docenti tibi veritatem precibus tuis adistere, restituere eandem possessionem, habitam etiam fructuum ratione, curabit.

6. Idem, AA. Dionysio.

Multum interest, utrumne uxore tua comparante pecuniam numerasti, eique possessio tradita est: an contractu emptionis a te nomine tuo habito, tantum uxoris nomen post instrumentis inscribi feceris. Nam si quidem uxor tua nomine suo emit, eique res tradita sunt, nec in te quicquam de his processit, non nisi de pretio adversus eam, in quantum tu pauperior, et illa locupletior facta est, habes actionem. Quod si tu quidem emit, et tibi tradita est possessio, tantum autem nomen uxoris quondam tuæ instrumento inscriptum est, res gesta potior quam scriptura habetur. Si vero ab initio negotium uxoris gerens comparasti nomine ipsius, empti actionem nec illi, nec tibi quaesisti, dum [quæ] tibi non vis, nec illi potes. Quare in domini questione ille potior habetur, cui possessio a domino tradita est.

7. Idem, AA. Gerontio.

Cum per eos qui negotia tua gerebant, olei materiam te comparasse, contractusque fidem pretio suscepto rupisse venditorem proponas: si quidem ex empto, his qui juri tuo subjecti fuerant, contrahentibus: tibi quaesita est actio, vel per te, [vel per eum] cui mandaveris: sin vero sui juris constituti, secundum mandatum tuum hunc contractum habuerant, ac sibi empti quaesierunt actionem, per eos vel quibus illi dederint mandatum, adi competentem iudicem: qui secundum bonam fidem quæ in hujusmodi contractibus observari solet, satisfieri providebit.

8. Idem, AA. Valentina.

Qui aliena pecunia comparat, non ei cuius nummi fuerunt, sed sibi tam actionem empti, quam dominium, si ei fuerit tradita possessio, quaerit. Cum itaque de rebus communibus fratrem patremve tuam quædam comparasse contendas: de tua pecunia hunc conveniendi, facies consultus. Nam in rem de rebus ab eo comparatis tibi contra eum petitio non competit.

9. Idem, AA. Rufina.

Nihil prohibet, altero pecuniam numerante, in alium vel utriusque

Tit. L. — 1. Adde L. 3. infr. h. t.; L. 21. supr. de probat. — 2. Adde L. 16. supr. d. t. de probat. — 3. L. 1. s. infr. de acquir. et retin. posses. — 4. L. 1. supr. h. t. — 5. L. 5. infr. eod. — 6. L. 4. supr. h. t. — 7. L. 7. supr. de divers. rescript. — 8. L. 4. L. 5. supr. h. t. — 9. Supra plus valere quod agitur. — 10. L. 8. in fin. pr. D. de procur. — 11. L. 6. supr. de rei vind. — 12. L. 4. supr. commun. utriusque jud. — 13. L. 1. supr. h. t. — 14. L. 1. in fin. supr. de contrah. empti; L. 2. § 2. D. de oblig. et act. — Tit. L. — 1. L. 3. supr. de rei vind.; L. 5. infr. de acquir. et retin. posses.; L. 23. D. de contrah. empti; L. 11. D. de reg. jur. — 2. d. L. 23. D. de contrah. empti. — 3. L. 2. § 10; L. 7. § 4. D. pro empt. — 4. L. 3. in fin. supr. de rei vind. — 5. Fidei tenen. L. 26. § 1. D. de pignori. — 6. L. 5. supr. plus valere quod agitur. — 7. L. 3. infr. de prescript. longi temp.; L. 19. infr. de evict. — 8. L. 14. supr. de rei vindic.; L. 7. infr. de liberali caus. adde L. 17. D. de evict. — 9. L. 3. supr. de rei vindic.; L. 11. D. de reg. jur. — 10. L. 60. in fin. D. d. t. de reg. jur. — 11. Infr. de distr. pign. adde § 1. Inst. quib. alienare. — 12. L. 5. infr. de prescrip. longi temp. — 13. L. ult. infr. de iure domini; L. 4. D. de pignorat. act. — 14. L. 56. § 4. D. de furtis. — 15. Pr. Inst. quib. alienare. — 16. L. 77. § 27. D. de legat. 1; N. 159. — 17. L. 9. § 1. D. de auct. tutor. — 18. L. 1. § 1. D. quæ res pignori.

contrahentis consensu, vel certe venditore tantummodo volente, dominium transferri, eo etiam manifeste constituto, ut inter absentes per mediam personam, veluti per nuntium, vel per epistolam, talis contractus perfici possit.

TIT. LI.

DE REBUS ALIENIS NON ALIENANDIS, ET DE PROHIBITA RERUM ALIENATIONE, VEL HYPOTHECA.

1. Imp. ALEXAND. A. Cantiano.

Si præsi provincie probatum fuerit, Julianum nullo jure munitur servos tuos scientibus vendidisse: restituere tibi emptores servos jubebit. Quod si ignoraverint, et eorum facti sunt, pretium eorum Julianum tibi solvere jubebit.

2. Imp. GOND. A. Græcia.

Distrahente marito rem tui juris, si consensum ei non accommodasti: licet sigillo tuo venditionis instrumentum fraude conquisita signaveris, hujusmodi tamen contentum emptori usucapione non subsecuta, vel longi temporis præscriptione minime munito, nullam præstitisse securitatem potest.

3. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. Valeriano.

Venditrici succedenti hereditario jure perfectam recte venditionem rescindere, ac dominium revocare non licet. Sed et si hæc ex persona sua vindicet: vel exceptione te doli mali, si hanc viam elegeris tueri, vel evicta re si defensione monstrata uti noluveris, quanti tua interest, poteris experiri.

4. Idem, AA. Affabili.

Mancipia patris, qui fundum a Philippo conduxerat, successione tibi quaesita, domino fundi pro debitis in solutum mater tua dando, nihil tibi auferre potuit. Ideoque si tu major vigintiquinque annis effectus ab ea negotium gestum non fecisti ratum: oblato debito, si non hæc locator jure pignoris tibi obligata vendidit, petere poteris.

5. Idem, AA. Ægro.

Si fundum tuum pater post emancipationem te non consentiente vendidit, neque ei successisti, neque possidens longi temporis præscriptione munitus est: tibi agenti eum rector provincie reddi efficit.

6. Idem, AA. Rufo.

Nemo res ad te pertinentes, non obligatas tibi, nec ex officio vendendi potestatem habens, distrahendo quicquam tibi nocere potuit.

7. Imp. JUSTINIAN. A. Joanni P. P.

Sancimus, sive lex alienationem inhibuerit, sive testator hoc fecerit, sive pactio contrahentium hoc admiserit, non solum domini alienationem, vel mancipiorum manumissionem esse prohibendam, sed etiam usufructus dationem, vel hypothecam, vel pignoris nexum penitus prohiberi. Similique modo, et servitutes minime imponi, nec emphyteuseos contractum, nisi in his tantummodo casibus, in quibus constitutionum auctoritas, vel testatoris voluntas, vel pactio tenor qui alienationem interdixit, aliquid tale fieri permiserit.

TIT. LII.

DE COMMUNIONUM RERUM ALIENATIONE.

1. Imp. ANTONINUS A. Apollodoro.

Si nulla usucapionis prerogativa, vel diuturni silentii præscriptio emptorem possessionis, quam a coheredibus patris tui distractam suggeris, pro portione tua munit: in rem actio incolumis perseverat. At si receptum jus securitatem emptori præstiterit, arbitrium est tibi liberum conveniendi eos, qui pro portione tua satis illicitam venditionem cebraverunt.

2. Idem, A. Terentiano.

Multum interest, utrum coheredes tui possessionem communem dis-

7. § 4. D. pro empt. — 4. L. 3. in fin. supr. de rei vind. — 5. Fidei tenen. L. 26. § 1. D. de pignori. — 6. L. 5. supr. plus valere quod agitur. — 7. L. 3. infr. de prescript. longi temp.; L. 19. infr. de evict. — 8. L. 14. supr. de rei vindic.; L. 7. infr. de liberali caus. adde L. 17. D. de evict. — 9. L. 3. supr. de rei vindic.; L. 11. D. de reg. jur. — 10. L. 60. in fin. D. d. t. de reg. jur. — 11. Infr. de distr. pign. adde § 1. Inst. quib. alienare. — 12. L. 5. infr. de prescrip. longi temp. — 13. L. ult. infr. de iure domini; L. 4. D. de pignorat. act. — 14. L. 56. § 4. D. de furtis. — 15. Pr. Inst. quib. alienare. — 16. L. 77. § 27. D. de legat. 1; N. 159. — 17. L. 9. § 1. D. de auct. tutor. — 18. L. 1. § 1. D. quæ res pignori.

traxerunt; an vero fiscus, cum partis dominus esset, soliditatem juxta proprium privilegium vendidit. Etenim si a fisco facta sit venditio: fidem ejus infringi, minime rationis est. Si vero coheredes soliditatem vendiderunt: licet emptor ab his delegatus, partem pretii fisco solverit, alteramque in cautionem deduxerit, tamen portio tua ea venditio non potest obistere.

3. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. Eusebio.

Falso tibi persuasum est, communis prædii portionem pro indiviso, antequam communi dividendo iudicium diceretur, tantum socio, non etiam extraneo posse distrahi.

4. Idem, AA. Ulpiano militi.

Portionem quidem tuam militantis frater tuus alienare non potuit: ejus autem partem pretio soluto tibi restitui postulare nec militari gravitati convenit.

5. Idem, AA. et CC. Olympiano.

Si major annis vigintiquinque veluti propria nescienti communia cum fratribus tuis prædia distraxisti, licet nullum instrumentum intercesserit, neque quicquam specialiter convenit: alienæ portionis evictione secuta, quanti interest, emptori solves.

TIT. LIII.

REM ALIENAM GERENTIBUS NON INTERDICI RERUM SUARUM ALIENATIONE.

1. Imp. SEVERUS et ANTONINUS AA. Publicæ.

Non est interdictum tutoribus vel curatoribus, etsi ex eo titulo iudicati debitores sunt constituti, cum sua causa res suas alienare. Potuit ergo curator tuus fundum suum cum suo onere obligare fisco nostro: nam et privato potuisset.

TIT. LIV.

DE PACTIS INTER EMPTOREM ET VENDITOREM COMPOSITIS.

1. Imp. ANTONINUS A. Diotima.

Si ea lege prædium vendidisti, nisi intra certum tempus pretium fuisset exsolutum, emptrix arras perderet, et dominium ad te pertineret: fides contractus servanda est.

2. Imp. ALEXANDER A. Charisio.

Si fundum parentes tui ea lege vendiderunt; [ut] sive ipsi, sive heredes eorum emptori pretium quandocumque, vel intra certa tempora obtulissent, restitueretur; teque parato satisfacere, conditioni dictæ, heres emptori non pareat, ut contractus fides servetur, actio præscriptis verbis, vel ex vendito tibi dabitur: habita ratione eorum, quæ post oblatam ex pacto quantitate ex eo fundo ad adversarium pervenerunt.

3. Idem, A. Felici militi.

Qui ea lege prædium vendidit, ut nisi reliquum pretium intra certum tempus restitutum esset, ad se reverteretur: si non precariam possessionem tradidit, rei vindicationem non habet, sed actionem ex vendito.

4. Idem, A. Juliano.

Commissoria venditionis legem exercere non potest, qui post præstitutum pretii solvendi diem, non vendicationem rei eligere, sed usurarium pretii petitionem sequi maluit.

5. Imp. GORDIANUS A. Longino.

Initio venditionis si pactus es, ut is, cui vendidisti possessionem, pretii tardius exsoluti tibi usuras pensaret: non immerito existimas etiam eas tibi, adito præsi [provinciae] ab emptore prestari debere. Nam si initio contractus non es pactus, si cæperis experiri, deberi ex

Tit. LIII. — 1. L. un. infr. de vendit. rer. fiscal. — 2. L. 12. infr. de donat.; L. 1. supr. commun. divid. 2. Feud. 55. § 2. — 3. Fidei tenen. L. 27. infr. de evict. — 4. L. 6. infr. d. t. — Tit. LIV. — 1. L. 17. infr. de admin. tutor. fac. L. 67. D. de contrah. empt. — 2. Fac. L. 18. in fin. D. de pignorat.; L. 9. § 1. D. de pignori. — Tit. LIV. — 1. Adde Lib. 18. D. 2. 3. — 2. L. 8. D. de lege commissoria. — 3. L. 12. D. de prescript. verb. — 4. L. 6. infr. de rer. permut.; L. 9. infr. de donat. — 5. Adde L. 15. § 3. D. de precar.; L. 1. supr. h. t. — 6. L. 6. in fin.; L. 7. D. de lege commiss. — 7. L. 15. supr. de pact. — 8. d. L. 15. supr. de act. empt. et vend.; L. 21. § 1. D. de pos. — 9. L. 14. § 1.

mora duntaxat usuras, tam ab ipso debitore, quam ab eo, qui in omnem causam empti suam fidem adstrinxit, de jure postulabis.

6. Imp. CARUS, CARINUS et NUMERIANUS AAA. Rimulo.

Cum te fundum tuum certæ rei contemplatione inter vos habita, exiguo pretio in alium transtulisse commemores, poterit tibi ea res non esse fraudi: quando non impleta promissi fide, domini tui jus in suam causam reverti conveniat. Et ideo aditus competens iudex, fundum, cujus mentionem facis, restitui tibi cum fructibus suis, sine ulla ludificatione, sua auctoritate perficit: præcipue cum et adversa pars receptis nummis suis, nullam passa videri possit injuriam.

7. Imp. DIOCLET. et MAXIM. AA. Musæo.

Si a te comparavit is, cujus meministi, et convenit, ut si intra certum tempus soluta fuerit data quantitas, sit res inempta, remitti hanc conventionem rescripto nostro non jure petis. Sed si se subtrahat, ut jure domini eandem rem retineat: denunciationis et obsignationis depositionisque remedio contra fraudem potes juri tuo consulere.

8. Idem, AA. et CC. Auxanoni.

Tempore contractus inter emptorem et venditorem habitam conventionem, integram servari, si ab ea posteriore pacto non recedatur; certum est.

9. Imp. JUSTINIANUS A. Joanni P. P.

Si quis ita paciscatur in venditionis, vel alienationis contractu, ut novo domino nullo modo liceat in loco vendito, vel alio modo sibi concessio, monumentum extruere, vel alio modo humano juri eum eximere: sancimus, licet hoc apud veteres dabitur, tale pactum ex nostra lege esse fovendum, et immutatum permanere. Forsitan enim multum ejus intererat, ne ei vicinus, non solum quem nollet, aggregaretur, sed [etiam] pro quo specialiter interdictum est. Cum etenim venditor, vel alter alienator non alia lege jus suum transferre passus est, nisi tali fretus conventionem: quomodo ferendum est, aliquam captionem ex varia pati eum interpretatione?

TIT. LV.

SI SERVUS EXPORTANDUS VENEAT.

1. Imp. SEVERUS et ANTONINUS AA. Petroniæ.

Lege venditionis exportata mancipia sub denunciatione manus injiciendæ, libertatem ab emptore, vel qui successit in locum ejus, antequam fides rumpatur, accipere possunt. Quæ tamen a fisco post manumissionem vindicantur, et in perpetuam servitutem eadem lege veniunt, cum in his civitatibus conversantur, quas contrahentes exceperunt: ante manumissionem vero injiciendæ manus facultas non denegatur, atque ideo non petuntur in publicum.

2. Idem, AA. Nediæo.

Si, ut manus injectionem haberes, cavisti tibi: jure tuo uti potes. Quod si hoc misisti, et penam stipulatus es: homo quidem fisco commissus est, tu vero nactus es ex stipulatu actionem. In omnibus tamen queritur, an domini voluntate in locum prohibitum venerit.

3. Imp. ALEXAND. A. Nonio.

Ancilla, quæ exportanda venit, nec exportata est, sed ab emptore in eadem civitate morante empta, et manumissa est: adversus legem venditionis libera fieri non potuit: et ideo aditus a te procurator meus partibus suis fungetur.

4. Idem, A. Papiæ.

Moveor, quod te a servis tuis dominum eorum venisse affirmas, sub ea lege, ne in patria moreris, et ab eo, cui te emptor prior vendiderat, manumissum esse dicis: quare competens iudex adversus eum quem præsentem esse dicis, cognitionem suam præbabit: et si veritas accusationis aderit, execrabile delictum in exemplum capitali pena vindicabit. Sed quoadusque probaveris, quæ intendis, status tuus esse [is] videtur, qui in te post manumissionemprehenditur.

D. de usur. — 10. Immo vide L. 14. supr. de rescind. vend. — 11. L. 8. pr. D. de peric. et commod. rei vend. — 12. L. 2. supr. h. t.; L. 1. infr. quando decreto opus non est. — 13. L. 2. in fin. infr. de jure emphyt. — 14. L. 48. D.; L. 15. supr. de pactis. — 15. L. pen. D. d. t. — 16. Adde d. L. pen. — 17. N. 63. c. 1. in fin. adde L. 35. in fin. D. de contrah. empt. — Tit. LV. — 1. Lib. 18. D. 7. — 2. L. 2. infr. h. t. — 3. d. L. 2. L. 3. infr. eod. — 4. L. 1. supr.; L. 9. D. eod.; L. 1. infr. tit. prox.; L. 20. § 1. D. de manumiss.; L. 7. D. qui sine manumiss.; L. 10. § 1. D. de in jus voc.